

1245

D O G M A T I C I.

1246

dam fuerunt quesita de deo et quaedam de cristo &c. Subnexus est *Index*, qui omnium trium *Quaestiones* exhibet. Sodalis hic *Franciscanus Anglus de Middleton* Sec. XIII. *Academias Oxoniensem et Parisinam* multum illustravit, ut tradunt *Waddingus, Fabricius, Tannerus*, alii, qui ejus *Scripta* recensent. Inter haec *Quodlibeta* nostra lucem videre *Venetis* prelo *Laz. Soardi* 1509. f. quibuscum collatum exemplar nostrum integrum est; non enim *Quodlibeta* LXXX. sunt, ut habet *Fabricius*, qui *Quaestiones* dicere debebat, nam re ipsa *Quodlibeta* tria in 80. *Quaestiones* abeunt. Illud addo: in edit. *Veneta* pro *de cristo* ut supra, legi *de Creaturis*. Neutrum male; nam et de *Christo* et de *Creaturis* in I. *Quodlibeto* agitur.

III. fol. 213. Anonymi disputatio: *Vtrum futura sint realiter presentia eternitati.*

CCCXIX.

310 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 119. f. per duas columnas sat eleganter scriptus et coloribus distinctus hoc titulo miniato gaudet: *Incipit compendium legis christi. et canonis sacri super quartum sententiarum editum a Magistro Johanne de Barchone ordinis fratrum beate Marie de monte Carmeli. In quo pertractantur quaestiones Theologice defendentes per uetus et nouum testamentum fidem christianam. et*

canonice. tam veteris quam noui iuris pertinentes ad conscientiam. Et ut per omnia fides et mores caritatis proferantur. protestor me tenere quidquid sacrosancta Romana ecclesia credit. tenet. docet et predicat. et quecunque hic dicam. vel usque ad extremum vite exitum. vel alibi dixerim sub quacunque forma verborum. correctioni et iudicio sacrosancte romane ecclesie suppono. et si quod absit aliqua ex hijs. non conuenirent fidei catholice aut bonis moribus illa omnia et singula reprobare et reuocare hic expresse. Opus totum diuisum est in *Quaestiones*, quarum prima sic inchoat: *Circa prologum quarti sententiarum quero istam quaestionem. Utrum ex scripturis veteris testamenti et sensibus earundem scripturarum certum sit christum iam uenisse &c.* Ad calcem subtextitur geminus *Index Quaestionum*, et *Rerum*, et hic quidem ex ordine Alphabeti. Priori subscriptum est: *Explicit tabula quaestionum super quartum scripti de lege christi ewangelica et de lege ecclesie canonica Fratris Iohannis Bacon ordinis beate Marie de Monte Carmeli. doctoris in Theologia.* Unde noto, *Tritheimium* non ita errasse Autorem *Baconem* adpellando, ut uult *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib. p. 59.* qui eum *Baconthorpium* a pago patrio *Norfolciae* dicendum contendit. Annum ejus emortualem statuit idem *Londini* 1346. postquam in *Academia Parisina* titulo *Doctoris Resoluti* claruisset, et *Ordini suo* in *Anglia* praefuisset.

Lelan-

C 3

Lelandus, Baleus, Pitseus, Labbeus, Petr. Lucius, Whartonus, Fabricius et dictus *Tannerus*, qui Operum ejus Catalogum texunt, *Compendium nostrum Venetiis* typis proculum esse adfirmant; nemo tamen annum aut formam prodit.

II. fol. 119. Propositiones XXIV. *Gerardi Groet* five *Magni Daventriensis*, qui abdicato *Canonicatu Ultrajectino* et *Aquisgranensi Clericorum Vitae Communis* in patria institutor obiit 1384. contra Clericos Concubinariorum. Initium: *Quoniam circa materiam notiorum fornicatorum. ego Magister Gerbardus groet dyaconus dixi et scripsi aliqua. que et dico et dicturus sum et volo quod pateant manifeste. ne qui calumpniantium. et vias domini rectas odiencium qui alioquin non desunt, me quecunque aliter dixisse aut scripsisse quam dixi aut dicturus sum mendaciter confingant. Ideo cupio ea vniuersis palam fieri et omnes scire que in hac materia intendo defendere. Et subjunctis pluribus adseverationibus et Adversariorum provocationibus: Primum dictum meum est. quod quicumque presbiteri suspensi, excommunicati, interdicti, depositi ac degradati vel si scismatici et heretici fuerint, dummodo credant et intendant sacramentum conficere ac consecrare, et dummodo materiam et formam debitam ecclesie obseruent, vera et indubitata et illibata dant conferunt et consiiciunt sacramenta &c. Propositiones contra Fornicatores Clericos*

primum ab undecima incipiunt, quae sic sonat: *Inter omnes ministros malos maxime in his cauendi sunt iuxta premissa fornicatores notorii, seu sint notorii per propriam in iudicio confessionem, seu per sententiam iudicis &c.* Brevis Epilogus ita finit: *Scriptum quoddam de his pro parte confectum conscribam perfectius, ut omnes similiter videre possint ramos cum radicibus.* Scripto hoc illud designari putem, quod in variis Bibliothecis existens post alios *Belgii Bibliographos* memorat *Foppenius* P. I. p. 355. titulo *De Focariis*, quo nomine Clericorum Ancillas five Coquas olim venisse, multis exemplis docet *Ducangius* in *Glossar*. Nostrarum vero *Propositionum*, quod sciam, nemo meminit. Itaque ineditas censeo, et ad *Foppenii* votum l. cit. edendas offero. *Crabrones* sibi utroque hoc Scripto *Gerardum* excitasse, liquet ex *Epistola ad Episcopum Trajectensem pro Magistro Gerardo Groot*, quando erat ipsi interdictum, ne publice praedicaret. Extat ea ad calcem *Vitae* ipsius a *Thoma de Kempis* conscripta inter hujus *Opera* edit. *Colon.* 1728. P. III. p. 31. 4. Atque in ea expresse dicitur: *Verumtamen eidem Gerardo procurantibus, ut praesumitur, Clericis et Presbyteris focarias habentibus, per vestras literas sine causa vel cause cognitione exercitium praedicationis indirede interdictum est. — Inde exultant inimici Ecclesiae Clerici focaristae*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1530

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1249

D O G M A T I C I

1250

caristæ in lubrico carnis foetidissimæ permanentes.

Codicem ambiunt Membranae 2. ejusd. Sec. fragmentum *Institutionum Iustiniani* Imp. exhibentes.

CCCXX.

289 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. per duas columnas descriptus exhibet *Compendium Theoloice veritatis fratris Hugonis de Burgundia Magistri in Theologia fratrum ordinis predicatorum habens VII. libros*. Falsus est Librarius in assignanda Autoris patria; non enim is *Hugo Burgundus*, seu a *S. Caro* est, sed *Hugo Argentiniensis*, ut ostenditur in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 470. et nos ad *Codd. seq. et DCCXXXI.* notavimus. Interim tamen *Codex* praefens testimonium fert contra eos, qui opus istud *Thomae Aquinati* tribuunt; legitur enim in anteriore theca: *Compendium Hugonis glosatoris et non est sancti Thome Sed compendium sancti Thome*. Cetera vide, si placet, *Codd. supracitt.* Praesentem possedere *Jacobus Sophianus*, ut in fronte, et *Martinus de Trziebon* (Trebona, Wittin-gau) ut in theca postica adscriptum est.

CCCXXI.

240 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 392. f. per duas columnas exaratus hac miniata inscriptione gaudet: *Hie bebet sich*

an daz puch daz da haisset compendium theloyce veritatis vnd ist der pesten pucher aines in der heiligen geschrift vnd ist getailt in siben puecher vnd ist pracht aus la-tein zu tewtsch. Hie bebet sich an die tavel vber daz erste puch. Post Summaria, quae et singulis reliquis VI. Libris praefixa sunt, habetur Praefatio inscripta: Das ist die vorrede des compendiums des ersten Capitels. Initium: Die Warbait der götleichen subtilichait Seit daz si ist ein scheyn oder ein glanz des öbristen scheines &c. Operis ipsius: Daz got ist daz wirt beweiset in maniger weise. &c. Itaque L. I. agit de Divinitate. II. de Creatione. III. de Peccato. IV. de Redemtore. V. de Virtutibus et Legibus. VI. de Sacramentis. VII. de Extremis Hominis. Extrema sunt: Die ein jeglicher seliger enphabet nach seiner verdinunge an alles ende. Amen. Subscriptio rubro viridis: Ende des puches des compendium Theoloice ueritatis aus geschriben an sant Jacobs abent. Nach Christ gepürt XIII hundert iar vnd darnach im XIII. iar. Johannes Branner de pül. Opus istud, quod Cod. praeced. lingua latina, qua primitus exaratum est, occurrit, quo olim in pretio fuerit, inde conjicies, quod a variis jam Alberto M. jam Bonaventurae, jam ipsi Thomae Aquinati tributum fuerit, et reipsa inter Opera primi T. XIII. editionis Petri Jammy Lugd. 1651. f. et secundi T. VIII. pariter Lugd. 1668. f. extet, ut alias editiones anteriores taceam.